



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714

§. XI. An licentia Prælati concessa ad superflua contra votum paupertatis, aut ad sumptus alijs virtutibus oppositos sit valida, & an ejusmodi licentia ex parte Prælati possit esse licita?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40013



§. XI.

An Licentia Prælati concessa ad superflua contra votum paupertatis, aut ad sumptus alijs virtutibus oppositos sit valida, & an ejusmodi Licentia ex parte Prælati possit esse licita?

49. **R**espondeo ad primum probabilius Licentiam valere, ita Lugo de just. Disput. 3. n. 137. Contra Sanch. lib. 7. moral. c. 19. n. 22. Probatur quod nulla sit lex irritans talem Licentiam. Trident. enim Less. 25. c. 2. de Regular. solum prohibet suppellectilem superfluam, ac paupertati incongruam, non autem invalidat actum oppositum. Aliàs Religiosus ab Amico superflua dono accipiens invalidè acciperet vi hujus decreti, quod nemo dicit: & licet Pontifex ut supremus Prælati prohibeat, non tamen aufert potestatem inferioribus Prælati, ergo nec valorem contractibus. Nec obstat, quod Prælati non sit Dominus, sed administrator constitutus à Conventu rerum Domino; hinc enim benè concluditur, quod concessio Prælati in fraudem aut grave damnum Conventus sit invalida, secùs si sumptus non sint præjudiciosi Conventui, esto hic, & nunc illicitè fiant, quia aliàs possent esse liciti facti in alios usus.

Confirmatur; Nemo vendentem pretiosas Imagines Religioso eas ementi cum Licentia Prælati obligabit ad restitutionem pretij: idem est si quis piscem magni pre-

tij aut sanitati noxium vendidit Religioso pro pecunia, cujus usum habuit cum Licentia) ergo valet data Licentia.

Resp. Ad secundam §. quæstionem, Prælatum non posse licitè dare Licentiam in particulari, seu determinatè ad usum profanum aut turpem quia cooperetur actioni illicitæ subditi, posse tamen dare Licentiam in genere, seu citra limitationem ad usus licitos, sed relinquendo obligationem & totam curam ipsi Religioso delegato, per hoc enim non concurreret ad usum illicitum Religiosi positivè, ut patet in pari primò in concursu Divino generali, & indifferenti. Secundò Pontifex dispensans cum aliquo in esu carniùm non restringit ad esum duntaxat licitum, aliàs si comederet carnes furtivas, aut valetudini nocentes, peccaret contra legem Ecclesiæ vetantem carnis esum, nec ideo Pontifex coöperatur huic illicitæ comestioni, sicut nec Sacrilegio Sacerdotis in loco interdicto ex Licentia Pontificis celebrantis cum peccato mortali. Ergo Generalis Licentia permittens quemvis usum etiam illicitum non censetur coöperari abutenti concessâ Licentiâ.

E 2

§0. Sed,

50. Sed hinc oritur difficultas, an defacto Prælatus Religioso concedens Generalem Licentiam expendendi aliquam pecuniam, censeatur eam restringere ad usus solum honestos; Affirmat communis cum Sanchez, n. 30. quia præsumendus est concedere Licentiam gravi vocantem culpam, quam continet Licentia ad vana, aut turpia. Secundò à pari; Pontifex dans Episcopo potestatem testandi præsumitur dare, nisi oppositum explicet, ad sola pia opera juxta communem cum Sanchez *Lib. 2. Consil. c. 2. dub. 51. n. 6.* Ergo etiam Prælatus censendus est ad usus tantum licitos dare; consequentia urgetur, quia dat talem, qualis ab eo peti solet.

Ex his jdem Doctores inferunt restituenda esse ab illis, quia à Religioso acceperunt pro similibus ob defectum Licentiæ necessariæ, ne Religiosus sit Proprietarius, seu Autoritate propria expendens. Ob hæc fatetur Lugo n. 142. hanc sententiam esse probabilissimam.

Respondeo nihilominus cum Lugo citato oppositam esse probabilem, probatur in alijs materijs per responsum antecedens Licentia generaliter data, quantum est ex parte dantis, aufert totum impedimentum situm in defectu Licentiæ, seu in eo, quod subditus operetur invito positivè Prælati sine restrictione ad usus ex alijs capitibus illicitos, ergo etiam Prælatus Generaliter dans Religioso Licentiam dispensandi cum aliqua pecunia non restringit facultatem ad actus duntaxat pios, sed quantum est ex parte sua, tollit totum impedimentum; ita ut nullus usus, etsi sit illicitus contra alias virtutes, sit illicitus contra justitiam, seu injustus, hoc est, fiat invito positivè Domino pe-

cunia sic expensæ, aut administratore Domini sive Conventus. Ex his.

Respondeo ad argumenta Sanchez, ad primum nego, quod Licentia Generalis non restricta ad usus pios sit ex parte Prælati culpabilis, non enim concedit pro usibus illicitis, sed quantum est ex se aufert malitiam injustitiæ ab jisdem usibus, qui fiunt contra castitatem, aut temperantiam aut justitiam erga extraneos.

Ad secundum est disparitas, quod dispensatio in lege sit odiosa, proinde sit restricta interpretationis: cum ergo Lex Ecclesiæ prohibeat Episcopis simpliciter testari, ac etiam testari ad opera pia dispensando in primò, consequenter concedendo facultatem testandi, non dispensat quoad punctum secundum, atque adeo potest testari ad sola opera pia, Prælatus verò Religiosus non potest dispensare licentiando subditum ad usum inhonestum, sed præcisè tollendo impedimentum unicum situm in defectu Licentiæ, hunc tollit, quantum est de se, quo sublato subditus non est proprietarius, sive non exercet actum invito positivè Domino, consequenter non facit injustitiam conventui.

Ex his sequitur non debere restituere ab jjs, qui à Religioso in usus turpes acceperunt, v. g. meretrix aut alij pro illicitis acceptantes pecuniam, dummodo hæc non excedat summam, quam ex consensu Religiosus sine injuria Conventus expendere potest in honestos usus.

Dices contra primam quæstionis in §. propositæ partem: talis Licentia est contra voluntatem Pontificiam declaratam in citato Tridentino & Clement. 1. de statu Monachorum. Omnia superflua ac pretiosa prohibentur. Secundò

Præla-

Prælati non est rerum Dominus sed Con-
ventus, ipsi autem administrare debet ad
mentem Conventus, qui consentire non
potest in usus jure prohibitos. Resp. Ad
primùm esse contra voluntatem Pontifi-
ciam prohibentem usum, secùs irritan-
tem valorem, quia non aufferit à Præla-
to facultatem necessariam pro Licentia a-
movente ab usu vitium proprietatis con-
tra votum.

Resp. Ad secundùm ex *num. 49.*
negando quod Licentia Generalis non re-
stricta ad pios usus sit contra mentem Con-
ventus, nisi sumptus sint magni, aut
fraudenti, nec Conventus nec Præla-
tus consentire potest in usus illicitos ut ta-
les, secùs, ne hi liberentur ab injustitia,

five vitio proprietatis, quia nullum jus
prohibet illis, ne utantur facultate de se
licita impediendi in Religiosis malitiam
injustitiæ dominio Conventus opposita, set-
si nequeant impedire, ne penitus usus sit
illicitus contra votum paupertatis per *nu-
mer. 48.*

Pro praxi advertit Lugo *n. 143.* in fi-
ne, quod etiam secundum oppositam
sententiam Sanch. non sit obligatio re-
stituendi accepta à Religioso ob turpem a-
ctum, nempe si Religiosus dans ex fine
turpi mutatâ hâc voluntate turpi donet
fœminæ, quæ E. g. est pauper, aut ex a-
lio fine honesto, supponitur enim ha-
bere facultatem expendendi in usum ho-
nestum.



§. XII.

Cujus Prælati Licentia necessaria ad usum licitum.

SI EX hucusque à *num. 43.* disputatis
clara est necessitas Licentiæ Super-
rioris, ut Religiosus validè, & licitè ci-
tra læsionem voti paupertatis expendat,
sed cum in plerisque Religionibus Reli-
giosus plures habeat Prælatos videlicet Ge-
neralem, Provincialem, localem E. g.
Rectorem aut Quardianum, aut Prio-
rem, imo in eodem domicilio nunc
hunc, nunc alium, quæritur an Licentia
hujus Prælati E. g. Rectoris, aut Prioris
sufficiat, ut Religiosus valeat illâ uti pri-
mò in eodem domicilio sub novo locali
Prælaro. Secundò an in alio domicilio,
ad quod transit.

Item an sit reus proprietatis in votum
paupertatis licentiam petens à pluribus Su-

perioribus pro certa summa non exceden-
te singulorum potestatem, puta Recto-
ris, Provincialis, & Generalis sciens,
quod nullus eorum concederet tantam si-
mul summam.

Item an Superior etiam ad breve
tempus possit pro se uti facultate, quam
alijs concedere potest, eâque uti tempore,
quo erit subditus sine nova Licentia.

Resp. Primo posse dare Licentiam
Generalem pro toto Ordine, Provin-
cialem pro tota Provincia, Localem
pro proprio domicilio Religiosis non
hospitibus, imo etiam his si juxta Regu-
lam non minus subjiciuntur illi, ac alteri
incolæ Superiori talis loci prout defacto fir-
ia